

Sanctum, et terribile nomen ejus : \* iníitium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : \* laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Psalmus 111.

BEATUS vir, qui timet Dóminum : \* in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : \* generátio rectórum benedicétur.

Glória, et divítia in domo ejus : \* et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis : \* miséricors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, ꝥ dispónet sermónes suos in iudicio : \* quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus : \* ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, ꝥ confirmátum est cor ejus : \* non commovébitur donec despiciat inimicos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus : ꝥ justítia ejus manet in

sæculum sæculi, \* cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, ꝥ déntibus suis fremet et tabéscet : \* desidérium peccatórum períbit.

Psalmus 112.

LAUDATE púeri Dóminum : \* laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, \* ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad ocásum, \* laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, \* et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, \* et humília réspicit in cælo et in terra ?

Súscitans a terra ínopem, \* et de stércore érigens pauperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, \* cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, \* matrem filiórum lætántem.

Psalmus 115.

CREDIDI, propter quod